

**Badische Landesbibliothek Karlsruhe**

**Digitale Sammlung der Badischen Landesbibliothek Karlsruhe**

**Proverbium Male parta male dilabuntur**

**Hanke, Gottfried  
Wachtel, Justin**

**Helmetstadi, [1698]**

**§. VII**

**urn:nbn:de:bsz:31-102693**

runtur, addimus: & intereunt. Paulo quidem aliter, ratione autem non plane diversa, Wolfgangus Heiderus in Philosophiae Moralis Systemate, pag. 113. ex Aristophane, hoc ita effert: Poetæ Plutum, si quem accedat, claudicare!, sin abscedat, perniciissimis esse pedibus fabulantur.

### §. VI.

Fidem his dictis faciunt historiæ tam sacræ, quam profanæ, & in primis quotidiana experientia, quæ jam olim occasionem huic nostro proverbio præbuit, idem confirmat. Redigamus modo nobis in memoriam ea, quæ nostra, patrum, & avorum nostrorum ætate acciderunt, & exempla reperiemus quam plurima, *malè parta malè dilabi* attestantia. Evolvisse interim hic non omnino erit inutile Harsdorffers grossen Schauplatz jämmerlicher Mordgeschichte. Erasmi Francisci Taur-Saal steigender und fallender Herren / & Christophori Boëtii Beschreibung grosser Staats- und Kriegs Minister Glücks- und Unglücks-Fälle / nec non Theatrum Tragicum Francisci de Rosset, una cum continuacione Martini Zeilleri.

### §. VII.

Causæ quæ faciunt, ut *malè parta malè dilabatur* non semper eadem sunt, sed aliæ in hoc, aliæ in alio casu obtinent. Recensebimus in præsenti præcipuas.

(1) Socordia & negligentia in bonis malè partis administrandis. Si enim hâc etiam bene parta pessum eunt, multo magis & celerius malè parta idem experientur. Vetus est Apophthegma: *Frons Domini plus prodest, quam occipitum.* Vigilans Paterfamilias est bifrons, Jani instar, qui temporis præses, bina facie quaternisque oculis, ut advigilaret, fictus est à

B 2

Poetis,

*Poetus, à quibus & Draco vigil ante hortos Hesperidum aurea custodiisse poma memoratur; ut doceant, Opes cura servari & vigilantia.* Vid. Cl. *Magni Danielis Omeisii* *Theatrum virtutum & vitiorum ab Aristotele in Nicomachiis omissorum cap. VI. §. 15.*

(ii) Vita admodum delicata & luxuriosa, valetudini dannosa & variis generis morbos secum trahens. Elegans est locus *Senecæ* in Epistola XCV. Cibus, inquit ille, postquam cœpit non ad tollendam, sed ad irritandam famem quæri, & inventæ sunt mille conditæ, quibus aviditas excitaretur: quæ desiderantibus alimenta erant, onera sunt plenis. Inde pallor & nervorum vino madentium tremor, & miserabilior ex cruditatis bus, quam ex fame macies: inde incerti labantum pedes, & semper qualis in ipsa ebrietate titubatio: inde in totam cutem humor admissus, distentusque venter, dum male assugescit plus capere, quam poterat: inde suffusio luridæ bilis, & decolor vultus, tabesque in se putrescentium, & retorti digitæ articulis obrigescentibus, nervorum sine sensu jacentium torpor, aut palpitatio sine intermissione vibrantium. Quid capitæ vertigines dicam? quid oculorum auriumq; tormenta & cerebri æstuantis verminations & omnia, per quæ exoneramur, internis ulceribus affecta? Innumerabilia præterea febrium genera, aliarum impetu sanguientium, aliarum tenui peste repenitum, aliarum cum horrore & multa membrorum quassatione venientium? Quid alias referam innumerabiles morbos, supplicia luxuriæ? Immunes erant ab istis malis, qui nondum se deliciis solverant, qui sibi imperabant, sibi ministrabant. Corpora opere ac vero labore durabant,

spendit  
ant, Opis  
Dantib  
tiborele  
  
rabant, aut cursu defatigati, aut venatu, aut tellure  
versata : excipiebat illos cibus, qui nisi esurientibus  
placere non poterat. — Simplex erat ex simplici causa  
valetudo : multos morbos multa fercula fecerunt.  
Vide quantum rerum per unam gulam transiturarum  
permisceat luxuria, terrarum marisque vastatrix ! ne-  
cessesse est itaque inter se tam diversa dissideant, & hau-  
sta male digerantur, aliis alio nitentibus. *Habenus*  
*Seneca loc. cit.* Quibus autem malis corrigendis mul-  
tis sumtibus opus est rem familiarem atterentibus.

(iii) Male bona sua acquirentis, hujusque conjugis  
asotæ vel adulteræ, prodigalitas & luxus, pestes fami-  
iliarum & Rerum publicarum. Secundum *Plinium* lib. 16.  
H.N. cap. 24, prodigalitas conferri potest cum *Sorbo*, cui  
folia universa decidunt simul, cum cæteris arboribus id  
paulatim accidat. Sic enim & prodigi subito nudantur, &  
sua perdunt omnia. Conf. *Heiderus* l.c. p. 594. *Socrates*,  
cum videret heluonem prodigum atro vesci pane, ri-  
fisse fertur eum, *Stita*, inquiens, *cœnasses*, jam non ita  
pranderes.

(iv) Liberi & hæredes alii male educati, vel in omne  
vitium præcipiti gradu ruentes, vitamque dissolutam  
viventes. Si enim *Heroum filii* interdum *noxa* sunt  
& tantum fruges consumere nati esse videntur, (uti  
pluribus demonstravit *Magnificus Academiæ nostræ*  
*Vice-Rector*, *Maxime Reverendus Dn. Doctor Job,*  
*Andreas Schmidius*, communis noster *Præceptor*, in pe-  
culiari de hac materia, Jenæ olim habita, disputatione)  
quid mirum, si Parentes injustitiae dediti post se relin-  
quant liberos suis libidinibus tantum non unicè in-  
dulgentes ? Notum est, in ore omnium versans, pro-

verbium: καὶ κόρης κακὸν ὁστ'. In primis autem animadvertes, in justorum & avarorum Parentum liberos esse prodigos, bona male à majoribus suis parta dilapidantes. Nam, ut hic adscribam ea, quæ collegit **Gregorius Richterius** in suis Axiomatibus Oeconomicis pag. 145. posteri primorum acquirentium conservandi artem ignorant, & qui acquisivit opes (*tales*) plerumque paupere cultu educatus est; ideoque amat eas, & artem earum conservandarum novit: verum eorum filii in summa rerum affluentia nati & educati, quam difficile sit laboribus parare eas ignorant: & cum conservandi artem nesciant; facile eas dissipant atque profundunt. *Add.* Considerationi Politiche, e Morali sopra cento oracoli d' illustri personaggi antichi, di **Lodovico Zuccolo**. p. 374. 375. 376.

(v) Delicta, propter quæ ipsi mali acquirentes bonis suis exuuntur, vel certam mulctam solvere jubentur. Quo fit, ut bona eorum dispereant & ad hæredes non transferantur. Reète B. Samuel Pufendorfius lib. II. de offic. hom. & civ. cap. XIII. §. 20. Frequenter contingit, ut alienum delictum occasionem præbeat, ex qua in alios incommodum proveniat, aut bonum antea speratum intercipiatur. Sicuti bonis Parentum ob delictum confiscatis ad paupertatem rediguntur etiam innocentes liberi. Eadem quoque causa esse potest, ut in justorum acquirentium hæredum bona pereant.

(vi) Variæ lites, quibus in justibonorum suorum possessores, horumque hæredes vel propter ipsa ista bona male parta, vel propter alias causas implicantur. Et

Et hæc iurgia (ut Christophori Förstneri verba, mea faciam) quandoque sunt æterna, ut si cum sumtibus sit conferenda molestiarum ratio, gravius putes sic vincere, quam confessim damnari. Nam & modum & numerum prægressæ sunt artes ac nomina, quibus miserrimos clientes patroni ac judices quidam frustrantur. Articulatim & lente hos discerpunt, qui semel perire potuerant. Vid. Notæ Politicæ in C. Cornelii Taciti Annalium librum II. p.m. 318. 319.

(vii) Tyrannorum violentia, item ministrorum atq; domesticorum perfidia, & furum bonis malè partis inhiantum, aliorumque hominum versipellium nequitia &c. Prætero nunc studiò alias his similes causas interitus malè partorum.

### S. VIII.

Ad sublimiores potius nos convertimus causas, quibus hic eventus, quod malè parta malè dilabuntur, est adscribendus. Sunt vero illæ *justitia* & *providentia divina*. Quod ad prius, ad justitiam nimurum divinam, attinet, verissimum est illud *Horatii Odarum Lib. III. Od. 2.*

Raro antecedentem scelestum  
Deseruit pede pœna clando.

Sed sequitur malignos ultor à tergo DEus, & quod quis intendit, patitur, autoremq; scelus repetit, suoque permititur exemplo nocens. *Iustus enim est Dominus & iusta sunt iudicia ejus.* Psalm. CXIX. 137. & *justum est apud Deum reddere afflignantibus alios afflictionē.* 2. Thess. I. 6. 7. *Deusq; secundum opera rependit.* Psalm. LXII. 13. Notabile omnino est sepimentū legis non solum primæ, sed